Quaestio medica Quodlib. Disputationibus agitanda In Scholis Medicorum die Jovis 18a Novemb.

D. Joanne Riolano D. M. Moderatore prudentissimo.

## An Idem Calor ortus et Interitus Causa.

Semen virile ab omnibus corporis partibus deciduum, licet pars non sit, praestat confractricem vim quam continet maxima caloris et triplici spiritu praeditum, simul ac utero conceptum est (quod et a mulieribus in eius orificium interius proiicitur) fecundo muliebri semini singulari quadam utriusque amicitia mutuoque complexu unitur. tum caloris insiti ministerio (quamquam non solius) in partium spermaticarum substantiam totum absumitur, iisque omnibus conformandis quamvis molem exiguam et nullam in partu per nutritionem auctam, cumulatissime satisfacit, quamquam eas non eodem tempore promoveat, et perficiat.

Quae simul ac debitam conformationem sortitae sunt, interioris naturae vi nutriri incipiunt, et utero per umbilici venae ministerio sanguine attracto (qui duplici coctione quarum propria sunt excrementa diversis in partibus elaboratus tandem in partium substantiam cedit) sensimque caloris opera ad iustam definitamque magnitudinem producuntur, non tam solidioris alimenti affluxu, quam sufficiente solidarum partium humiditate quam a primo statim ortu copiosissimam sortitae sunt.

Humanum corpus etsi tam firmam corporis constitutionem a primo statim ortu nanciscatur, tamque iustis vivendi legibus contineri, servarique potest, ut vitam ad extremum usque senium integra, atque incorrupta sanitate protrahat, hanc tamen temporis decursu, et aetate progrediente commutari, variasque et multiplices mutationes (idque singulis septenis annis) sustinere necessum est. Nec solum ambientis, cibi, potus, vigiliarum, ceterarumque rerum non naturalium impetu, sed etiam insiti caloris vi. qui dum nullas inducias agit nativum humorem vitae fomitem (qui omnino restaurari non potest) exhauriendo succedente pabuli inopia deficit, et extinguitur.

Nam calor qui pueris summus erat, adolescentibus iam minor inest, sicque facta per singulas aetates progressione imminuitur, imminutus vero et ad senium vergens ex praedictis quod naturales omnes functiones languidiores reddit, corporibus etiam nostris maximam excrementorum congeriem adfert, quae cum copia et qualitate peccant, saepenumero vitae periodum accelerant, adeo ut omni homini quaedam moriendi necessitas connata esse videatur.

Illa vero partium siccitas annorum decursu obrepens longo tempore nos opprimeret nisi per pondera alimentorum a singulis partibus prolectum (non tamen aequali attractionis robore) quod exhaustum est restitueretur. Ea ubi nos corripuerit marcorem inducit, non animalibus modo sed ipsis etiam stirpibus certum. quod si insitus calor igneam naturam concipiat, diruitque corpus terrae intempestivum marcorem inducit, qui ambustus dicitur, uterque si longius fuerit progressus omnem artis industriam respuit, sed incoactus ἀναλήψει ad tempus profligabitur.

Ergo Idem Calor ortus et Interitus Causa.

Afferebat Franciscus Tifotius Coenomanus. 1574.

D. Doctor. Disputaturi.

M. Claudius Bazin.
M. Joannes Lamy.
M. Henricus Blacuod.
M. Hugo Prenosteau
M. Nicolaus Ellain.
M. Nicolaus Millot.
M. Ludovicus Thibault.
M. Simon de Malmedy Prof. reg.
M. Petrus Giroust.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE